

OREMUS.

Deus, qui nos justitiam loqui, et quæ recta sunt præcipis judicare : tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitatis inveniatur in mente ; ut puro cordi purior sermo consentiat ; ostendatur in opere justitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum.... R. Amen.

Post hæc, Pontifex ascendit ad planum altaris ; imponit incensum et benedicit Diacono qui cantat Evangelium ut heri.

Sequentia sancti Evangelii secundum

Lucam. Cap. 10.

In illo tempore ; Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui ; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis : et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato et ipso incensato, Pontifex incipit, schola prosequente, hymnum : *Veni, Creator*, pag. 15. Expleto hymno, Pontifex alloquitur Synodum, si velit.

Postea, his verbis Promotores requirunt promulgationem Constitutionum per Synodum approbandarum :

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Decreta, in novissima Congregatione sancita, in hac secunda Diœcesis.